

# Kreis Büren.

S. 118

1242.

[17]

Bischof Bernhard IV. von Paderborn bekundet eine Schenkung an das Stift Böddeken.

In nomine sancte et individue Trinitatis. Ego Bernhardus quartus Dei gracia Paderbornensis ecclesie episcopus omnibus hoc scriptum inspecturis perpetuam in Domino salutem. Notum sit universis tam posteris quam presentibus, quod quedam matrona Petronilla nomine quondam uxor Rem-

fridi militis in Hengelderum cum filio suo Ottone venit ad presenciam nostram et pro salute anime sue quandam curtim in Hoyerynchusen sibi attinentem obtulit abbatissae Budecensi et sororibus suis et fratribus ad omnes usus perpetue possidendum, quam eciam in presenti ad manus abbatissae uterque resignaverunt tali tamen condicione, ut infra dimidium annum novem marce sibi presententur. Insper ipsa matrona duas partes tocius pensionis prediecte curtis, quamdiu vivat, ad necessaria vite percipiat. Abbatissa vero cum fratribus et sororibus suis terciam partem percipient; post obitum vero ipsius matrone conventus integrum pensionem prenominate curie cum quiete possideat. Statutum est eciam, ut anniversarius ipsius et mariti sui Remfridi et quorundam suorum familiarium Conradi et Hadewygis in ecclesia Budecensi perpetuo sollempniter observetur. Ut autem hec nemo in posterum in irritum revocare valeat, hanc paginam conscribi fecimus et sigillo nostro et abbatissae et ecclesie Budecensium sigillo roborare utile duximus. Acta sunt hec anno incarnationis dominice M<sup>o</sup>CC<sup>o</sup> quadragesimo secundo. Testes huius rei sunt Elisabeth preposita, Wolderadis decana, Alheydis; sacerdotes Albodo plebanus, Theodericus, Conradus; laici Bertoldus advocatus; ministeriales Gherhardus miles, Rotgherus, Conradus pincerna, Gherhardus camerarius et quam plures alii fide dignis.

Kopiar Nr. 78.